

TEXTOS

Invocación

Deus in adiutorium meum intende. **R/.** Domine, ad adiuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen. Alleluia

Antífona

Franciscus vir catholicus et totus apostolicus, ecclesie teneri fidem romane docuit presbiterosque monuit pre cunctis revereri.

Salmo

Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis,

Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

Juravit Dominus, et non poenitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

Dominus a dextris tuis, confregit in die suæ reges,

Judicabit in nationibus, implebit ruinas: Conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Antífona

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in saeculum saeculi.

Salmo

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: In consilio iustorum, et congregatione.

Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius.

Confessio et magnificentia opus eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilem suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis hereditatem gentium: opera manuum eius veritas et iudicium.

Fidelia omnia mandata eius: confirmata in saeculum saeculi, facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terrible nomen eius: initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri et Filio, et Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Himno

Ave, maris stella, Dei mater alma, atque semper virgo, Felix cæli porta.

Sumens illud "Ave", Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle, bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem, sumat per te precem, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.

Virgo singularis, inter omnes mitis, nos culpis solutos mites fac et castos.

Vitam præsta puram, iter para tutum, ut videntes Iesum semper collætemur.

Sit laus Deo Patri, summo Christo decus. Spiritui Sancto, tribus honor unus. Amen.

Responsorio

Descendit de celo Deus verus a Patre genitus, introivit in uterum virginis nobis ut appareret visibilis; indutus carne humana prothoparentis edicta. Et exivit per clausam portam Deus et homo universe fabrice mundi. **V.** Tamquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Et exivit...

Prosa

Fac Domine Deus quia verbum tuum Christe rex. Processit de virgine genitrix Dei Maria. Continens namque sua virtute. Hic namque in gremio in celum. Terram in se, hoc regentem Virgo genitrix est, confirmatum cor virginis. In quo divina narrante te rex.

Domine Deus alme Dei Deo regi Christo, Redemptor mundi, Conserva hunc populum, Christe quod tuum est alme Ihesu principem mundi.

Antífona

Mulier que erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti et stans retro secus pedes Domini lacrimis cepit rigare pedes eius et capillis capitisi tergebat.

Cántico

Magnificat anima mea Dominum,
Et exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo;
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus;
Et misericordia ejus a progenie in progenies: timentibus eum.
Fecit potentiam in brachio suo ; dispersit superbos mente cordis sui.
Deposit potentes de sede, et exaltavit humiles.
Esurientes implevit bonis: et divites dimisit inanes.
Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.
Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Bendición

Benedicamus Domino. Deo gratias

Kyrie

Kyrie eleison
Christe eleison
Kyrie eleison

Kyrie

Rex virginum amator Deus, Marie decus, eleison
Kyrie eleison
Christe eleison
Amborum sacrum spiramen nexus amorque, eleison
Kyrie eleison

Epístola

Fratres, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur: non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, et nequitiae: sed in azymis sinceritatis, et veritatis.

Gradual

Hec dies quam fecit Dominus exultemus et letemur in ea. Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius

Alleluia

Aleluya. Pascha nostrum inmolatus est Christus

Secuencia

Victimæ paschali laudes immolent christiani.

Agnus redemit oves: Christus innocens Patri reconcavi peccatores.

Mors et vita duello conflixere mirando: dux vitae mortuus regnat vivus.

Dic nobis Maria, quid vidisti in via.

Sepulchrum Christi viventis, et gloriam vidi resurgentis.

Dic nobis Maria, quid vidisti in via.

Angelicos testes, sudarium et vestes.

Dic nobis Maria, quid vidisti in via.

Surrexit Christus spes mea, precedet suos in Galileam

Dic nobis Maria, quid vidisti in via.

Scimus Christum surrexisse a mortuis vere, tu nobis victor Rex, miserere. Amen, alleluia.

Salve

Salve Regina Mater misericordiae.

Vita dulcedo spes nostra, Salve.

Ad te clamamus exsules filii Evae.

Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle.

Eia, ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte.

Et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium, ostende.

O clemens. O pia. O dulcis Virgo Maria.